

Hoc repugnat enti necessariō & ab intrinseco & ex se habenti esse. Probat hoc porrò duabus rationibus: (1.) ab inconvenienti, quod inde proficiuntur: Sic enim, pergit ille, vel non repugnat diri multa entia ab intrinseco necessaria; vel quocunque ens habens limitatam perfectionem, vel quasi partem entis, potest à primo ente manare, vel quia tale ens non esset summè perfectum, quod verā & non repugnante conceptione possit concipi ut impossibile. (2.) quasi à priori: Per non repugnantiam, vel negationem omnis causæ; vel rationis, ob quam necessitas essendi, ut sic potius limitetur ad hoc genus perfectionis, quam ad aliud, & ad hunc gradum, quam ad meliorem.

Th. XIV. Deinde pro eodem Dei attributo etiam ex oppositione sic argumentamur: Aut in Deo dantur omnes perfectiones possibles sine terminabilitate, aut non dantur. Si prius est & dantur: Hacemus quod volumus. Perfectionum enim omnium possibilium complexum cum adjunctâ interminabilitate sive negatione finis aut termini infinitatem hic appellamus. Sin vero posterius & non dantur dicto modo in Deo, carebit Deus aliquā aut etiam pluribus perfectionibus, & sic virtutes & perfectiones ejus habebunt certos limites & consequenter erunt finitae. Si perfectiones Dei sunt finitae, etiam ejus essentia est finita, atque ita Deus est Ens finitum. Quod absurdorum absurdissimum est, & nihil aliud, quam Deum facere non Deum. Quod uberioris diducendi in conflitu publico forsan à Doctissimis Dominis Opponentibus nobis dabatur occasio. Posterioris itaque quoniam sine manifesta contradictione stare non potest, prius, quod videlicet Deus sit infinitus, necessariō concedendum erit.

Quæ contra hocce Dei attributum Impius Vorstius objicit & alii nonnulli, resoluta sunt passim ab Autoribus. Vide Beccanum & Albertum Grauerum in Quest. illustribus
Quest. VI. pag. 28. 29. seqq.

DEO infinito
infinita sit Laus & Gloria,
in infinita seculorum secula.

